

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2023-2024
À rendre avant le mardi 12 septembre (casier au DSA)

Version latine n°1 : de l'avocat à l'historien

Suades ut historiam scribam, et suades non solus : multi hoc me saepe monuerunt, et ego uolo, non quia commode facturum esse confidam (id enim temere credas nisi expertus), sed quia mihi pulchrum in primis uidetur non pati occidere quibus aeternitas debeatur, aliorumque famam cum sua extendere. Me autem nihil aequa ac diuturnitatis amor et cupido sollicitat, res homine dignissima, eo praesertim qui nullius sibi conscius culpae posteritatis memoriam non reformidet. [...] Sed hoc satis est, quod prope sola historia polliceri uidetur. Orationi enim et carmini parua gratia, nisi eloquentia est summa ; historia quoquo modo scripta delectat. Sunt enim homines natura curiosi, et quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut qui sermunculis etiam fabellisque ducantur.

Me uero ad hoc studium impellit domesticum quoque exemplum. Auunculus meus, idemque per adoptionem pater, historias et quidem religiosissime scripsit. Inuenio autem apud sapientis honestissimum esse maiorum uestigia sequi, si modo recto itinere praecesserint. Cur ergo cunctor ? Egi magnas et graues causas ; has, etiamsi mihi tenuis ex his spes, destino retractare, ne tantus ille labor meus, nisi hoc quod reliquum est studii addidero, mecum pariter intercidat. Nam si rationem posteritatis habeas, quidquid non est peractum, pro non incohato est. Dices : « Potes simul et rescribere actiones et componere historiam. » Vtinam ! sed utrumque tam magnum est, ut abunde sit alterum efficere.

Pline le Jeune